Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



7

uenuet sapientia et uirga indouio et qui indiget corde. Sapiens ab
scondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. Substantia
diuitis urbs fortitudinis eius: pauor pauperum egestas eorum. Opus iusti
ad uitam: fructus autem impii ad peccatum. Via uite custodienti disciplinam:
qui autem increpationes relinquit errat. Abscondunt odium: labia menda
cia. Qui profert contumeliam: insipiens est. In multiloquio peccatum non de
erit: qui autem moderat labia sua prudentissimus est. Argentum electum
lingua iusti: cor impiorum pusillum. Labia iusti eruditunt plurimos:
qui autem indocti in cordis egestate morientur. Benedictio domini di
uites facit: nec sociabitur eis afflictio. Quasi risum stultus operatur scelus:
sapientia autem est uiro prudenti. Quod timet impius ueniet super
eum: desiderium suum iustis dabitur. Quasi tempestas transiens non erit impius:
iustus autem quasi fundamentum sempiternum. Sicut acetum dentibus et fu
mus oculis: sic piger his qui miserunt eum. Timor domini apponet dies:
et anni impiorum breuiabuntur. Expectatio iustorum leticia: spes autem impiorum
peribit. Fortitudo simplicis uia domini: et pauor his qui operantur malum. Iusti
in eternum non commouebitur: impii autem non habitabunt in terra. Os iusti
parturiet sapientiam: lingua prauorum peribit. Labia iusti considerant
placita: et os impiorum peuersa. Statera dolosa abhominatio est apud deum:
et pondus equum uoluntas eius. Vbi fuerit superbia ibi erit et contumelia:
ubi autem humilitas ibi et sapientia. Simplicitas iustorum diriget eos:
et subplantatio peuersorum uastabit illos. Non proderunt diuitiis in die
ultionis: iustitia autem liberabit a morte. Iustitia simplicis diriget
uiam eius: et in impietate sua corruet impius. Iustitia rectorum liberabit eos:
et in insidiis suis capientur iniqui. Mortuo homine impio nulla erit
ultra spes: et expectatio sollicitorum peribit. Iustus de angustia liberatus
est: et tradetur impius pro eo. Simulatores ore decipit amicum suum: iusti autem
liberabuntur scientia. In bonis iustorum exultabit ciuitas: et in perditione